



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Isagoge Sive Introductio Ad Vitæ Spiritualis
Perfectionem, Omnibus tam Regularibus, quàm Clericis
Sæcularibus, Confessariis, Concionatoribus, & Animarum
Pastoribus perquàm utilis, & specialiter ...**

Herlet, Johann Georg

Sulzbaci, Anno MDC.XCIII.

Contra tentationes curiositatis, & curiosæ inquisitionis super alterius vitâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37853

gis, in laboribus, in vigiliis; in jejuniis &c. 2.
Corinth. 6.

Quæ seminaverit homo, hæc & metet. Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. *Galat. 6.*

Vos autem fratres, nolite deficere beneficientes. 2. *Thessal. 3.*

Contra tentationes curiositatis, & curiose inquisitionis super alterius vitâ.

Quid ad te? tu me sequere. *Joann. 21.*

Homo, quis me constituit iudicem, aut divisorem super vos? *Luc. 12.*

Opus suum probet unusquisque, & sic, in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero: unusquisque enim onus suum portabit, *Galat. 6.*

Non est vestrum nosse. *Actor. 1.*

Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit. *Rom. 14.*

Tu autem quid iudicas fratrem tuum? omnes stabimus ante tribunal Christi: unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.

Non ergo amplius invicem iudicemus. *ibidem.*
Quid vides festucam in oculo fratris tui: Et trabem in oculo tuo non vides? *Matth. 7.*

Contra tentationes Mundi.

Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. *Joann. 15.* Si

Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret. Quia verò de mundo non estis; sed ego elegi vos de mundo; propterea odit vos mundus. *ibidem.*

Mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo; sicut & ego non sum de mundo. *Joann. 17.*

Non potest mundus odisse vos; me autem odit; quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt. *Joann. 7.*

Vos de mundo hoc estis. Ego non sum de hoc mundo. *Joann. 9.*

Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo: quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. *1. Joann. 2.*

Mundus totus in maligno positus est. *1. Joann. 5.*

Nolite conformari huic sæculo. *Rom. 12.*

Nescitis, quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? quicumq; ergo voluerit esse amicus sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. *Jacob. 4.*

Præterit figura hujus mundi. *1. Corinth. 7.*

Mundus transit, & concupiscentia ejus. *1. Joann. 2.*

Hoc itaque dico fratres; tempus breve est: reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. *1. Corinth. 7.*

K 2 Con-

Contra tentationes Superbiae.

Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.
Matth. 11.

Non est species ei, neque decor; & vidimus eum,
& non erat aspectus: & desideravimus eum,
despectum, & novissimum virorum, virum
dolorum; undè nec reputavimus eum, *Isaia*
53.

Cum sceleratis reputatus est, *Ibidem.*
Filius hominis non venit ministrari, sed mini-
strare. *Matth. 20.*

Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.
Luc. 22.

Cum in formâ Dei esset, semetipsum exinanivit,
formam servi accipiens, in similitudinem ho-
minum factus, & habitu inventus ut homo.
Humiliavit semetipsum, factus obediens usq;
ad mortem, mortem autem crucis: propter
quod & Deus exaltavit illum. *Philipp. 2.*

Surgit (JESUS) à cœnâ, & ponit vestimenta
sua; & cum accepisset linteum, præcinxit se;
deindè mitit aquam in pelvim, & cœpit la-
vare pedes discipulorum, & extergere linteo.
Joann. 13.

Deus superbis resistit, humilibus autem dat gra-
tiam. *Jacob. 4.*

Multi erunt primi novissimi, & novissimi primi.
Matth. 19.

Erunt novissimi primi, & primi novissimi. *Matth.*
20.

Qui-

Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. *Ibidem.*

Recumbe in novissimo loco: quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. *Luc. 14.*

Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis. *I. Corinth. 4.*

Contra tentationes Impatientie & Iracundie.

Si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum: in hoc enim vocati estis: Quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus; Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. *I. Petr. 2.*

Quidam dicebant: quia bonus est. Alii autem dicebant non; sed seducit turbas. *Joan. 7.*

Dicebant autem multi: dæmonium habet & insanit; quid eum auditis? *Joann. 10.*

Cum audissent sui, exierunt tenere eum; dicebant enim, quoniam in furorem versus est. *Marc. 3.*

Venit filius hominis manducans & bibens; & dicunt ei: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. *Matth. 11.*

Deridebant eum Principes, dicentes: alios salvos fecit; seipsum salvum faciat, si est Christus. *Luc. 23.*

K 3

Spre-